



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 16. Joannes Arragonius Archiepiscopus Toletantus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

postmodo in apostolicam euectus sedem: *Sæcul. XIV.*  
 & Papam a periculo erroris liberum *A. C. 1324.*  
 pronunciantium opinio non nisi post an-  
 nos centum ac plures inducta in scho-  
 las fuit.

## §. XVI.

*Joannes Arragonius Archiepiscopus  
 Toletanus.*

In Hispania, postquam Guterius Gome-  
 sius Archiepiscopus Toletanus 5 Sept.  
 an. 1319 curriculum vitæ contecerat,  
 electus in ejus locum Joannes Arrago-  
 niæ Princeps, tertius Regis Jacobi II fi-  
 lius anno 1320 Ilerdæ consecratus est *Franc. Pisa:*  
 præsentibus Chimenio de Luna Tarra- *fol. 152. 198.*  
 conensi, ac Petro de Luna Cæsaraugu-  
 stano Archiepiscopis. Cum novus An-  
 tistes Toletanus sibi, tanquam Primate  
 Hispaniæ, in provinciis horum Præsu-  
 lum pro jure suo, ut ajebat, crucem suam  
 præferri vellet, orta est magna disce-  
 ptatio: nam illi hoc postulatum Toleta-  
 ni Præsulis non esse decisum, sed litem  
 in Romana pendere curia contende-  
 bant. Joannes tamen Cæsaraugustæ, *Mariana*  
 ubi Ordines regni habebant comitia, viam *l. 15. c. 17.*  
 facti corripuit. Tum vero Petrus eum  
 anathemate, urbem interdicto afficiens,  
 templa omnia occludi jussit. Rex Ar-

Sæcul. XIV.  
A. C. 1324.

*Indic. Ar-  
rag. p. 164.*

ragonixæ suis in oculis filium sic haberi summopere dolens, ad Papam querelas detulit. Qui reponebat: Non suspicandum est duos Archiepiscopos cogitasse injuriam filio tuo facere: solum volebant suarum Ecclesiarum jura tueri, quod etiam regni tui interest. Quocirca de partium juribus haud edocti satis Archiepiscopum Toletanum pro cautione absolvimus ab irrogatis sibi censuris; & quæstionibus summam nostras ad aures evocavimus; prohibentes interim, ne is crucem suam his in provinciis ante se portandam curet, ac ne illi aliquam contra eum sententiam edant. Epistolam dabat 11 Nov. an. 1320.

*to. II. cons.  
p. 1712.*

*Sup. l. 92.  
S. 64.*

*c. 2.*

*v. Cang.  
gloss. Solda-  
deras.*

*c. 4.*

Archiepiscopus Joannes Toleti celebravit concilium, finitque 21 Nov. 1324. Condebantur ibi octo Canones; quorum præfatio vult, ut observentur una cum iis, quos Legatus Guilielmus Codinus duos abhinc annos Vallisoleti promulgasset. Id concilium vetat, ne Clerici pallia ad terram fluentia, vel tunicarum manicas tam breves ut nuda cernantur brachia, vel capillos auribus inferiores gerant: ac præcipit, ut barbam suam singulis saltem mensibus radant. Præfules non sinant suas intrare domos mulieres dissolutas, quas *Soldaderas* nuncupant, & quæ ipsis esse spectaculo volent. Beneficium animarum  
cura

cura præditum administret nemo, cui  
Episcopus id non speciatiim commiserit.  
Nullus Clericus bona, quæ acquisiverit  
ab Ecclesia, liberis suis seu per donatio-  
nem inter vivos, seu testamento con-  
ferat. Sacerdotes pecuniam pro facris  
faciendis non exigant: sed accipere po-  
terunt, quod benigne sibi sine ulla pactio-  
ne oblatum fuerit.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1325.

c. 5.

c. 6.

§. XVII.

*S. Elisabetha Lusitanæ Regina.*

Dionysius Lusitanæ Rex e vita demi-  
gravit die lunæ 7 Jan. 1325, post-  
quam quadraginta quinque annos re-  
gnaverat. Ad viduam ejus S. Elisabe-  
tham Papa epistolam consolatoriam da-  
bat 1 Martii eodem anno. Hæc Prin-  
ceps post mortem conjugis mox coepit  
suæ pietatis instinctus libere sequi, & S.  
Claræ filiarum vestem gerere, quam as-  
servaverat hoc fine, vel ut in ea se-  
peliretur, si prior ipsa obiret: hanc, in-  
quam, vestem induit, ac per omnem vi-  
tam reliquam gestabat. Ex Petro III  
Rege Arragonum & Constantia Sicula  
Manfredi filia anno 1271 nata Elisabethæ  
nomen accepit in honorem S. Elisabe-  
thæ Hungaricæ promaterteræ suæ. An-  
nos octo habens, magnum Ecclesiæ offi-  
cium quotidie recitare coepit, pergebat

*Mariana.*

*l. 15. c. 18.*

*Vad. 1325.*

*n. 7. 12.*

*Rayn. eod.*

*n. 16.*

*Baillet.*

*8. Jul.*

Q 5

que